

Quod vero Aristoteles subdit:<sup>62</sup> *Deinde neque videtur habere monarchicum quicquam.* Verum est quatenus unus nullum magistratum exercet, praeter eum, qui puerorum praeest institutioni, sed mentem Platonis sequentia haec declarant:<sup>63</sup> *Servi namque et domini nunquam fient amici.* Atque ideo nullum dominum haec res publica debet habere, ut in monarchia neque etiam ut in democratia,<sup>64</sup> *in paribus honoribus declarati pravi ac boni.* Ita ergo nec monarchicum quid habens nec democraticum media est haec consiliariorum electio; media, inquam, per negationem, non autem per copulationem extremarum. Neque etiam illud recte obiicitur:<sup>65</sup> *Sed oligarchica et democratica magis vero inclinare vult ad oligarchiam, clarum vero est ex principum constitutione, nam ex electis sortitur eos.* Quod non est verum, sed quod fine capitis ipsemet ait:<sup>66</sup> *ἐξ αἰρετῶν αἰρετούς ex electis electos.* Neque enim Plato sortem admittit in supremorum magistratuum constitutione, qui sunt apud eum νομοφύλακες, στρατηγοί, φύλαρχοί, ταξίαρχοι *legum custodes, belli duces, tribuum principes, ordinum principes.* In consiliariis autem admittit.

Nec quicquam ad rem facit, quod ait Aristoteles eam ad oligarchiam pendere; nec etiam verum est, non enim ad divitias solas spectans eos elegit ex maioribus censibus. Sed etiam ad virtutem, ut his verbis:<sup>67</sup> *maxime senes et quam potest fieri optimos.* Nec hi ad proprium commodum administrant, sed ad commune totius civitatis, quod aristocratiae, non autem oligarchiae est munus.

<sup>62</sup> ἔπειτα οὐδ' ἔχουσα φαίνεται μοναρχικὸν οὐδέν. [ARIST. Pol. 1266a.5 – 6]

<sup>63</sup> δοῦλοι γὰρ ἂν καὶ δεσπότηαι οὐκ ἂν ποτε γένοιτο φίλοι. [PLATO, Lg. 757.a.1]

<sup>64</sup> οὐδὲ ἐν ἴσαις τιμαῖς διαγορευόμενοι φαῦλοι καὶ σπουδαῖοι. [PLATO, Lg. 757.a.1 – 2]

<sup>65</sup> ἀλλ' ὀλιγαρχικὰ καὶ δημοκρατικὰ μᾶλλον δ' ἐγκλίνειν βούλεται πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν. δῆλον δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀρχόντων καταστάσεως τὸ μὲν γὰρ ἐξ αἰρετῶν κληρωτοῦς. [ARIST. Pol. 1266a.6 – 9]

<sup>66</sup> ἐξ αἰρετῶν αἰρετούς; [ARIST. Pol. 1266a.26 – 27]

<sup>67</sup> τοὺς πρεσβυτάτους τε καὶ ἀρίστους εἰς δύναμιν. [PLATO, Lg. 754.c.5 – 6]